PAVLI [illegible] V II

[illegible]

A



[illegible]

PAVLI IOVII
DESCRIPTIO
LARII LACVS.

VENETIIS, M. D. LIX.
Ex officina Stellæ Iordani Zilletti.

DIONYSIVS SOMENTIVS NICOLAO SFONDRATO, Comiti Riperiæ, Regioq; senatori amplis. S. D.

CVM proximis superioribus diebus Larium mihi lacum adire contigisset, illuc ab amplis. ordine uestro tui gratia missus, ut quorundam maleficorum hominum, homicidii reorum, ditionis tuæ causam cognoscerem, magna animi uoluptate uiridem illũ, & uere gemmeum lacum inspexi, pulchritudinem eius totiusq; oræ illius amœnitatem, crebra oppida, frequentesq; populos admiratus, inter alia ad aspectum Bilatii, eiusq; altissimi promontorii, duos uel potius tres lacus prospectantis, obstupui. adeo tenet animum, uariisq; modis afficit, & delectat longissimus ille tractus aquarũ dextra, læuaq; iucundissimum oculis spectaculum præbens. quid dicam de magnificentiss. ædibus ac regiis, quas ad medium fere collem habes, quantumuis numerosæ familiæ capaces? quid de perenni, saluberrimaq; in superiore montis parte aqua? quid de pulcherrimis hor-

tis à Citreorum, & Medicorum pomorum amœnitate beatissimis? quid de toto colle ficu, olea, cuiusuis generis fœcundis arboribus, uiteq; in primis generoso uino exuberante, uestito atque ornato? ut prætermeam mirabilem illum aditum, ascensumq; ab imo lacu ad summum montis per scalas, quæ per octingentos amplius gradus miro artificio è durissimo lapide fabricatos facilem ascendentibus uiam præstant. ad summam, nunquam alias iucundiorem uidi locum: quem tu per iocum, cum me satietas humanarum rerum ceperit, gratiss. mihi sedem, laborumq; quietem destinas, ac offers. munere illo functus domum cum rediissem, tibiq; quid mihi de regione illa uisum foret, percunctanti, quantam cœpissem uoluptatem, exposuissem, dixisti uelle te mihi delectationem eandem renouare, oculisq; loca eadem sine ullo uiæ labore subiicere, proferriq; statim ex bibliotheca tua Pauli Iouii libellũ quendam iussisti, quo ille iucunde simul & eleganter totius Larii lacus amœnissimum situm, locorum, ac hominum utranque ripam habitantium nomen, ingeniumq; describit. hunc ille libellum in gratiam patris tui, uiri clarissimi, & nunquam satis laudati, olim scripserat. auide paucis horis totum perlegi, uisusq; mihi di-

gnus

gnus eſt, qui publice cunctis legendus præberetur, pulchrumq; in primis tibi, & honorificum eſſe iudicaui, ſi in manus hominum exiret. magna enim ex parte in deſcribenda ditione tua eſt occupatus, quam ad Larii dexteram ripam magnam amplamq; ſumma cum dignitate obtines, & iuſtiſsime regis. recte itaque iudicio meo feceris, remq; tibi ac nobiliſs. familiæ tuæ honorificam, ſi tam elegantis opuſculi copiam orbi quamprimum impertiueris. quod te facturum pro ſumma prudentia tua, amoreq; erga cuncta ſtudiorum genera mihi facile perſuadeo. Vale. Mediolani, Cal. Iunii, M D L V I I I.

PAVLI IOVII LARIVS,

AD FRANCISCVM SFONDRATVM.

COMENSEM Lacum, Franciſce Sfondrate Senator ampliſsime, ab Etruſcis Larium, uti omnium Italiæ Principem, antiquitus appellatum fuiſſe, Cato in originibus tradit. ad quod Virgilius Maro, antiquitatum eruditiſsimus, quum in Georgicis, TE LARI MAXIME, diceret, alluſiſſe uidetur. Eius oram, in qua eximiæ nobilitatis tetrarchiam tibi & poſteris tuis uirtute quæſiuiſti, periucunda nauigatione percurrimus, annotauimusq; diligenti commenſuratione utrinque littora lambendo, ſinus, promontoria, peninſulas, fontes, ſigillatimq; oppida, & uicos, ac in his quæ litterarum memoria, & laude digna uidebantur, ut id, quod à me proximis diebus optimo iure poſtularas, cumulate, nec ſine celeritatis gratia ſolueretur. Efficit autem Larium, aut certe in immenſum adauget Abdua, limpidiſsimus amnis, qui ab Adua monte, à quo nomen

Larii nomen Etruſcum.

Adua mõs

men accipit, excelso Rhæticarum Alpium iugo delapsus, raptis secum multis torrentibus in Larium per Volturenam uallem euoluitur. Adulam pro Adua corrupte legimus apud Ptolemæum, nam ea uox Græce inaccessum significat, ita ut hinc liquido constet, montem à Græcis nomen accepisse. is enim & hodie Graius appellatur. maximorum amnium fontibus nobilis, si quidem Danubii, Rheniq; origines in aduersa Aduæ regione referuntur. Adiacet Graii radicibus Burnium oppidum, ad urbis effigiem maxime turritum, aquarum calidarũ balneis ad pituitæ morbos percelebre: nec multum inde absunt Abduæ fontes, argenti fodinæ, secturæq; ferrariæ, & in rigentibus gelu cautibus christallus, pari periculo, quæstuq; à montanis hominibus colligitur. Has Aduæ rupes Claudianus poeta, quum Stiliconẽ aduersus Gothos armato exercitu in Germaniam penetrantem celebraret, iucundissime descripsit his uersibus,

Volturena uallis.

Burnium.

Protinus umbrosa uestit quà littus oliua
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu,
Parua puppe lacum præteruolat ocyus, inde
Scandit inaccessos brumali sidere montes.

Et alio in loco,

Sublimis in arcton

Prominet

Prominet Hercyniæ confinis Rhætia ſiluæ,
Quæ ſe Danubii iactat Rheniq; parentem.
Et in alio loco,
Sed lacus Heſperiæ, quo Rhætia iungitur oræ,
Præruptis ferit aſtra iugis, panditq; tremẽdam
Vix æſtate uiam. multi ceu Gorgone uiſa
Obriguere gelu, multos hauſere profundæ
Vaſta mole niues: cumq; ipſis ſæpe iuuencis
Naufraga candenti mergũtur plauſtra baratro.
Interdum ſubitam glacie labente ruinam
Mõs dedit, & trepidis fundamina ſubruit haſtis,
Pendenti male fida ſolo. per talia tendit
Frigoribus mediis Stilico loca.

Ab his alpibus Abdua ſexaginta millium curſu in Larium decurrit, mediam Volturrenam uallem proſcindens, adeo multis meandris tortuoſus, ac ingentibus impeditus ſaxis, ut nec tuto rates ſine remige profluenti committantur. Eam uallem, celebritate inſignium oppidorum & præſtantiſsimi uini fœcunditate ditiſsimam, C. Sẽpronio, uetuſtiſsimo Italicarum rerum ſcriptori, notam uidemus. Id uinũ facile inueteratur, & in multos ſæpe annos perdurat, fitq; odoratius, quum maxime caneſcit, tanta poteſtate, ut ab honore menſarum in uarios medicinæ uſus transferatur, melleo utique liquori, quàm perſpicuo uino, ſimilius. In infima uallis Vini laus.

 parte

parte ad oſtium Abduæ Larium influentis, Vol turrenam urbem florentibus Etruſcorum rebus ædificatam fuiſſe, Paulus Lõgobardus aſſe uerat, de cuius ſitu, ruinisq; ſuo loco dicemus. decet enim à Como patria, unde ei hodie nomen, deſcriptionem Lacus exordiri. nam portu urbis egreſsi ad leuam enauigauimus uſq; ad extremum lacum, ut inde per aduerſa demum littora confecto circuitu reuerteremur. Orobiorum ſtirpem eſſe Comum, Cato in originibus tradit. nam Græcos, qui coloniis ſuis terrarum orbem compleuerunt, auctore Cornelio Alexandro, magnam Italiæ partem imperio tenuiſſe, conſtat. Hi creſcentem à paruis initiis urbem, Græco nomine Comum, ideſt Vicũ appellauere. Cæterum à Gallis Senonibus, qui Etruſcos, græcam gentẽ, uictricibus armis ſumma Italiæ parte depulerant, Comum adauctum, et plane conditum fuiſſe, Trogus Pompeius auctor eſt, eo fere tempore, quo Mediolanum, & Bergomum, & Brixiam ab iiſdem Senonibus ædificatas legimus. Verum Comẽſes, ſupra uetuſtatem originis, Cæſaris dictatoris magnificentia et patrocino nobilitantur, quando incomparabili iudicio uir, opportunitate, amœnitateq; ſitus, ut credi par eſt, inuitatus, in eam urbem nouos colonos deduxerit,

Origo Comenſium.

in

in queis ad quingentos nobiles Græcos fuisse Appianus, et Suetonius tradunt, unde et Græcorum familia honestissimi nominis apud nos adhuc uiget. et id græcis litteris inscripti silices abunde testantur. uerum non aliunde magis claritatem appetimus, quàm ab ipsis Romanæ magnificentiæ monumentis, quæ passim et in urbe, et in agris uel nihil tale indagantibus occurrunt. ea diligenti, eruditoq; studio Benedicti Iouii fratris excerpta, relataq; in iustum uolumen, quum historiam patriam scriberet, apud exteras gentes lectitantur. in ædes quoque nostras nuper transtulimus ingentis epistilii fragmenta Cæsariani, uti arbitror, theatri titulum cubitalibus litteris longe pulcherrimis exprimentia, eiusq; triumphi marmore candido celata effigies in amplissima tabula è ruinis emersit. et ad nos quoque summa cum uoluptate delatum est Cæsaris dictatoris caput, colosseæ propemodum statuæ habitu Pontificis maximi, infula uelatum, uti persimilem uidere licet in numismatibus argenteis, ita ut aliquãdo speremus, ad publicam dignitatem, ex eodem loco statuæ truncum, et non multis quidem operis eruturos. Orta igitur à Græcis urbs nostra, condita à Gallis, à Romanis illustrata, duos Plinios æternæ di-

gnitatis uiros protulit. et paulo ante Cæcilium poetam, Catulli sodalis sui carmine celebratum, Atiliumq; grammaticum, Plinii Cæcilii laude, et marmorea base apud nos illustrem. Promeruerat enim ille uirtutis et pietatis ergo à gratissimis ciuibus, quum liberaliter artem professus, ex testamento uniuersam substantiam suam ad rempublicam pertinere uoluisset. in eius basis latere, et hoc quoque præter titulos suauissimum distichon incisum est;

Morborum uitia et uitæ mala maxima fugi,
Nunc careo pœnis, pace fruor placida.

L. quoque Fabati, qui Plinii Cæcilii prosocer fuit, eximiæ magnitudinis elogia uisuntur. is fortuna, et dignitate amplissimus, auctore Cornelio Tacito, aduersus Neronem, orbis portentum, uel hoc uno consilio illustris, generoso spiritu coniurarat. Et eius Caninii quoque liberalitatis marmorea monumenta extant, qui sub Traiano bellum Dacicum Græco poemate exorsus, crebris Plinii cohortationibus accendebatur, ut aliquid ederet, quod esset perpetuo suum. Neque mirum est, Cæsarem, hunc potissimum deducendæ coloniæ situm delegisse, inhabitasseq; eam, aut frequentasse summæ claritatis uiros, quum Plinius Cæcilius, et Casiodorus ad copiam rerum

Vrbis opportunitas.

omnium

omnium præcellentem, ad incomparabilem subuectionum commoditatem, ad cæli temperiem, et denique ad ipsas humani generis delicias constitutam fateantur. quicquid enim mirum in modum excultæ montium radices ferunt, quicquid siluosa, excelsáq; nemora humanis usibus præbent, quicquid in herbidis ac insertis cælo alpium iugis armenta progenerant, subiectus, et seruiens lacus excipit, urbiq; dominæ facili conuectione dilargitur: qui demum undique piscosus, et passim olea, uite, lauro, citreisq; nemoribus littora redimitus, lætissima facie nauigantibus arridet. Quatuor montes quadrata facie planitiem includunt, in qua urbem ipsam fluuiatili cancro persimilem positã, ab alto conspicimus. Duobus enim suburbiis, Coloniola scilicet, et Vico, influentem, lunato sinu Larium duabus ueluti chelis amplectitur. ab aduersa uero parte suburbium, quatuor ferme stadiis inter Orientem atque Meridiem exporrectum, molliter inflexam extendit caudam. ubi uero coeuntium inter se montium fauces itinera coarctant, pinnatæ, quadrati lapidis, ingẽtes portæ singulos aditus præcludunt, opportunæq; totidem in excelso arces ingressus militares tuentur. Ab ortu Castrum nouum apparet, fatiscente iam

Forma cãcrina.

subtus

Baradelli arx.

ſubtus tota rupe,ruinæ modo collapſum à meridie Baradellus,Luitprādi Regis opus,Turrianorū Principum carcere inſignis, in edito iugo conſpicitur ſaxoſæ uiæ, quæ tendit ad Heluetios. Ab occaſu inſidet Carneſinum caſtellum; cuius conſpicua turris in priuatæ uillæ periſterium abiiſſe uidemus. A Septentrione autem Larius conſumpto curſu in urbem diffuſus; ueluti mole ſua, ſummotis late montibus, ipſo portu ſubiectæ urbis excipitur. Intra hæc circuentium montium ſepta, campi aliquot ſtadiorum urbem circundant, aut ſegete nobiles, aut uirentibus pratis iucundi, aut hortenſibus deliciis florentes; quæ omnia ad ocii uoluptates, et hippodromon, et geſtationes, et amœna ambulantibus ſpatia præbent. Montes ipſi caſtigatis apicibus, et compreſſo ad æquiſsimam planitiem dorſo, uel in ſumma iuga carris permeabiles,ab aprico littore uinetis, et frugiferis arboribus exculti,ornatiq; frequentibus uillis, et templis, ſpectantium oculos mire implent, nec tamen exſatiant: quin ad ſalubritatem uentos arcent, Boreamq; preſertim flexuoſis obiicibus frangunt. Ita ut mirum,uideatur,niuoſis incluſos montibus mitiorem experiri hiemem; et diuerſa pariter ratione, neque æſtuoſos ſolſtitii dies, ingentibus protecti umbris,

bris, neque per noctes ardentis Caniculæ uestigia, sed aerem suauibus auris mitigatum sentiamus, quando Mediolani tam prope per hibernos dies rigidiore matutina aura, uti ab expedita planitie rapidius incidente, gelata ora hominum abradantur, et in refertissima urbe immodicis æstate feruoribus torreamur. Porro ab aduersa parte, qua in se ipsos obiecti solibus cadentes umbras excipiunt, præalta nemora ostentant ad uenationes, ad aucupia, opacissimosq; recessus, ita ut passim ueluti æstiuis uoluptatibus arridente natura, et frigidi fontes subsiliant, et auiculæ decantent, et umbrosa diuerticula ad quiescendum uiatores alliciant, sed ne dulcedine patriæ fusius lasciuire uideamur, subiiciemus epistolam Cassiodori, qui hæc poetico more iucundissimis tractibus celebrauit. CASSIODORVS Gaudioso, Theodorici Regis epistolarum magistro salutem dicit. CVM multis itineribus Como ciuitas expetatur, ita se eius possessores præ ueredorum assiduitate suggerunt esse fatigatos, ut equorum nimio cursu ipsi potius atterantur, quibus indultu regali beneficium præcipimus custodiri, ne urbs illa positione sua libenter habitabilis rarescat incolis, frequentia læsionis. est enim præter montium deuia et

Aeris temperies.

laci

laci purißimi uaſtitatem, quaſi murus quidam, planæ Liguriæ, quæ licet munimen clauſtrale probetur eſſe prouinciæ, in tantam pulchritudinem perducitur, ut ad ſolas delicias inſtituta eſſe uideatur. Hæc poſt tergum campeſtria culta tranſmittit amœnis uectationibus apta, & uictualibus copiis indulgenter accõmodata. à fronte ſexaginta millibus dulcißimi æquoris amœnitate perfruitur, ut & eius recreabili delectatione ſatietur, & piſcium copia nullis tempeſtatibus ſubducatur. merito ergo Como nomen accepit, quæ tantis lætatur compta muneribus. Hic profecto lacus nimis amplißimæ uallis profunditate ſuſceptus, qui concharum formas decenter imitatur, ſpumei litoris albore depingitur, circa quem conueniunt in coronæ ſpeciem excelſorum montium pulcherrimæ ſummitates; cuius oræ pratorum liminibus decenter ornatæ, quaſi quodam cingulo Palladiæ ſiluæ perpetuis uiriditatibus ambiuntur, ſuper hæc frondoſæ uineæ latera montis aſcendunt. apex autem, quaſi quibuſdam capillis caſtanearum denſitate criſpatus, ornante natura depingitur. Hinc riui niueoq; candore relucentes in arctam laci altitudinem præcipitati deſcendunt, cuius finibus ab Auſtro ueniens Abdua fluuius faucibus apertis excipitur. qui

ideò tale nomen accepit, quod duobus fontibus acquisitus, quasi in proprium mare deuoluitur, qui tanto impetu uastisimi æquoris incidit, ut nomen retinens,& colorem in Septemptrionem obesiore aluei uentre generetur, putes quandam lineam fusciorem in aquis albentibus esse descriptam, miroq; modo influentis discolor natura conspicitur, quæ misceri posse simili liquore sentitur. hoc & in marinis quidẽ fluctibus fluuiorum inundatione contingit. Sed ratio ipsa uulgariter patet, ut torrentes præcipites limosa fece corrupti, uitreo sint æquori discolores. hoc autem iure putabitur stupendum, quòd simile tantis qualitatibus elementum per pigrum stagnum uides ire celerrimum, ut amnem per solidos campos putes decurrere, quem se peregrinis undis non uideas colore posse miscere. Quapropter incolis harum rerum iure parcitur, quando amœna omnia delicata sunt ad labores & facile onus afflictionis sentiunt, qui uti similibus deliciis consueuerunt. Fungantur ergo munere regali perpetuo, ut, sicut gaudent natiuis epulis, ita eos exultare faciat munificentia principalis.

Hanc urbem beatam deliciis, florentem opibus, & libertate, fortunaq; sua gaudentem, conspiratione quatuordecim ciuitatum Me-

diolanenſes ab hinc annis quadringentis. Imperante Locario in cineres redegerunt, auctore & principe Iordane Cliuio eorum antiſtite. is trinis caſtris poſt diu obſeſſam, oppugnatamq; urbem eò Comenſes, ab inſulanis ſociis deſertos adegit, ut, deſperatis rebus, cum liberis, ac uxoribus claſſe profugerēt, & urbs deſerta, ſpectante ciuiũ claſſe, cremaretur: huius diri belli hiſtoria inepto, ſed robuſto carmine decantata, in archiuiis Comenſium religioſe cuſtoditur: cuius auctor eſt M. Cumanus, qui bello interfuit, & pleraque alia pedeſtri demum ſtilo in tanta eius ſæculi ſcriptorum orbitate, nobis gratiſsima ſcriptitauit. ſic enim tumido uerſu opus orditur.

Mediolanenſes Comum euertunt.

Bellum, quod geſsit populus cum gente ſuperba, Annis ab ea clade uigintitribus, qu um ingruēti in Italiam Federico Ahenobarbo Cæſari, Comēſes, uindictæ libidine, præſto fuiſſent, in quota ſolatii parte Mediolanum barbarorũ ſæuitia deletum uiderunt. tum uero Cæſar, ut ſociis gratiam referret, Comum reſtituit. Immunitate, libertateq; donauit. eam uero liberalitatem Cæſar Auguſtali diplomate ex latiſſimis membranis, quæ adhuc incorrupta ſeruantur, benigne teſtatus eſt. eius quoque auſpiciis, quæ uidemus, mœnia, & turres eximii operis

operis Comenses ædificarunt: auctaq; demum est opibus ciuitas, mercaturæ, lanificiiq; presertim industria, quum laneos pannos in orientem usque transmitteret. industria ergo opulentiam fecit, è qua mox superbia orta est, quæ intestina bella peperit: atque ita insanis factionibus seruientes Vicani Rusconiq; familiæ principes, alternante fortuna partium successus, urbem euerterunt. eo modo attriti mutuis cladibus, urbe late incendiis deformata, tædio calamitosæ libertatis, ultro in ditionem Actii Vicecomitis concesserunt. his ab Actio ducentis annis bis urbs nostra rediuiuis opibus resurgens, direpta est semel à Pandulpho Malatesta, imperante Insubribus Ioanne Maria, cui inhumana crudelitas dignum uitæ exitum parauit; iterum, ante sexdecim annos, ab Hispanis, quũ syncere deditis auiditate prædæ fidem uiolassent. Secutum demum est execrabile id bellum inter Cæsarem, & Franciscum Sfortiam, quod toti Italiæ fatale fuit, ut omnium simul fortunæ conciderent. quo tempore Petrus Arias Hispanus inusitata tyrannide ita Comenses afflixit, ut sub hoc prægraui tributorum pondere fatiscentes, quo nunc premimur, nihil iam de salute speremus, nisi hoc Gallico bello Cæsar aut optimam pacem, aut opimam uictoriam sibi &

Comũ bis direptum.

nobis attulerit. ſed cum hæc amariores nos reddant, ad Larii delicias reuertemur. Igitur ad leuam è Vici ſuburbano ſoluentibus, ubi opaciſsima Plinii platanus olim fuit, epiſtolis eius celebrata, in cuius memoriam honoremq; Muſarum, & Apollinis, iucundiſsimi proſpectus Muſæum noſtrum ædificamus, occurrunt quinque uillæ ad radices Olympini montis, qui contra portum reſpicit Grumellia, Succota, Ceraſia, Tabernula, Gerentiana, æquis fere ſpaciis inter ſe diſtantes. hinc uertente ſe in orbem Olympino in Larium effunditur Bleſia flumen, & lapideo ponte oblongo, & frumentariis molis, & in oſtio Troctæ piſcis captura inſignis. eum piſcem antiquitus Lupum appellatum fuiſſe, in libro de Romanis piſcibus abunde monſtrauimus. datur enim ei palma, qui Maio menſe in oſtio Bleſiæ ſit captus. ultra pōtem Cœnobium, oppidulum ex ambuſtis ædificiis, & ſtructura interrupti portus paucis ante annis opulentum. paulo ſupra Cœnobiū, ad ſecundas excelſi Buſbinii montis radices, uiſuntur, Platea, Rubenna, Toldinium, rara, ſed eximii tritici fruge gaudentes. In ſummo cacumine cum templo Deiparæ uirginis ſpecula eſt admirabili proſpectu. Inde Larii fluctibus alluuntur Garinnia, & Speciana, honeſtiſsimorum

Muſæū Iouianum.

Trocta piſcis.

Cœnobiū uicus.

rum

rum ciuium uillæ. Sequitur nobile ficetis, & te gulari lapide Multrasium, in ualle algida sonantis amniculi umbrosis cotibus impositum. Inde recto itinere sequuntur Furii geminæ sacræ turres, & mox Caractum, lampicidis & naualibus fabris frequens. Hinc paulum sese Larius terris insinuat, &, dum rursus refugit, Lellium exigua cuspide in undas porrigitur, olíueta passim & in primis curtianas elegantes uillas ostentãs. Inde demum lunatis utrinque ripis Turregiæ promontorium excurrit, adeo ut à Careno oppositi littoris non amplius decem stadiorum spatio distet: neque alibi Larius angustior reperitur. is uicus agrum habet accliui, & ob id gradata planitie, uite, olea, lauris, & fontibus peramœnum, ita ut is situs toto lacu mihi potior uideatur, qui ab aliquo priscæ elegantiæ, & arridentis fortunæ uiro luculentis ædificiis debeat exornari. A Turregia rursus litora sensim curuantur, prolatatoq; sinu uisitur Briennium, in ardua, & aprica montis radice propendens. Inde duodecim ferme stadiis adest Arcennium, in intimo recessu perampli sinus positum, ædificiis, arce, priuatis turribus, & lapideo ponte nobilis uicus. interfluit enim medium amnis ex umbrosa ualle delapsus, quà iter est octo millibus passuum ad Lugani lacum, per

Multrasiũ.

Lellium.

Prom. Turregia.

Brienniũ.

Arcenniũ.

Inteleuinam

Inteleuinam uallem multis frequentem pagis, uenationeq; & aucupiis iucundam. Ab Arcennio ſtirpem ducunt Lauizarii, uigente olim Vicana factione Comi opibus potentes: quorum unus hodie Arcennii Georgius multa hoſpitalitate nobilitatis nomen tuetur. Dum Arcennii ſinu euehimur, ad lenam in arduum montem, & ſub amaro quidem aſcenſu, unde illi græcum nomen. Suſpicitur Picra oppidum cum arce, frumenti, candoris, & magnitudinis eximiæ, ferax. gloriatur & rapis Nurſinis æque ſimilibus, in ora cum fornicato ponte, qui regiam uiam ſternit, Camogia torrens, atque inde Colonium ignobilis pagus. Tum uero fons largus, frigidus, perennis, ab oliuetis inumbrantibus nomen accipiens. is ſaxeo naturali cratere tantiſper retentus, dum uiatores & nautæ potant, in lacum effunditur. Sala demum pagus occurrit, cum uetuſta arce in adito, negocioſis piſcatoribus frequens. hinc enim incipit Euripus ille Gemmeus Cæcilii Plinii, à multa intercurrentium piſcium captura pernobilis. Contra id Salaniani litoris ſpatium porrigitur inſula, protenſo in longitudinem dorſo, cadauer antiquæ urbis decreto Comenſium nauigantibus oſtentans: ut eius pœnæ exemplo Lariani populi parẽtem ſuam Comum urbem

Picra.

Coloniũ.

Sala.

Euripus.

fidelius

fidelius colere moneantur. Fuit hæc clara Gothorum temporibus; qui tantum in eius urbis munitione confidebant, ut in ea totius gentis thesauri conderentur. Paulus Longobardus in historiis scribit, Comacinam insulam in Lario lacu ab Ariperto, Longobardorum Rege, captam, euersamq; fuisse, quum forte in eam Ausprandus, Luitperti pueri Regis nutricius, & tutor, prœlio ad Nouariam uictus profugisset. Ceterum post Caroli Magni aduentum, qui Longobardicum regnum euertit, instauratam insulam inuenio. Ab hac Iouiorum familia nostra originem trahit, extantq; opulentiæ maiorum nostrorum monimenta, diuæ Mariæ Magdalenæ templum, in Stabio uico contra insulam per Euripum breuissimo duorum stadiorum traiectu distans. ei maiores Iouii agros ex fundis suis, in alimenta egenorum, uiatorumq; liberali pietate contribuerunt: & per sexcentos annos manet apud nos incorrupta dicendi præfecti, & sacerdotis prærogatiua. propterea & hodie quoque in gentilicio insigni, ad argumentum originis, castellum insulæ, ambiente Lario impositum, gestamus, addita Romana Aquila, qua Federicus Ahenobarbus domum nostram honestauit; sicut & dudum columnas Herculeas, munere Caroli V. Cæsaris, studiis

Iouiæ familiæ ab origo insula.

nostris

noſtris impenſe fauentis addidimus. Poſt deletum uero Mediolanum, Comēſes, Ahenobarbi opibus adiuti, recentem Inſulanorum perfidiam uindicantes, Inſulam funditus euerterunt, Inſulanis Varenam migrare iuſsis, ad publicam ſeueritatem decreto adiecto, ne quis unquam in Inſula ædificaret. ita, ruinis ingentibus deformata, quadringentis annis permanſit; hodieq́;, durante tantum templo, quod religione inuiolatum fuit, ſolis cuniculis habitanda relinquitur. contra Inſulam Spuranum, Stabiumq́;, & ulterius canonica uocatum, templum archiſacerdote, & reditu celebre. Inde Balbianum, quod Inſulæ ſuburbanum fuit, ubi maiorum noſtrorum reliquias, fundum ſcilicet, & ruinoſas magnificentiæ ſingularis ædes, poſsidemus. Balbianum à Campo uico, interlabente Perlana, infeſtiſsimo torrente dirimitur. is à ualle prærupta defluit, in qua antiqui monachi in ſilueſtri admodum loco diui Benedicti templum poſuerunt, non longe ab Oſſucio uico largiſsimi fontis, & olearum copia celebri. Ceterum à Campo oppidulo Iſthmus incipit, quo promontorium Lanactum, nemoroſo dorſo, & excelſæ arcis ueſtigiis ſuperbum, terris innectitur. id magno ambitu adeo in diuerſa littora porrigitur, ut ſuperioris Larii tractus,

Spuranũ. Stabium.

Balbianũ.

Campum.

Perlana fluuius.

Iſthmus.

Promontorium Lanactum.

ctus, & ipsi insulæ, & iis, quæ notauimus, quinque pagis penitus abscondatur. Humani capitis effigiem id Lanactum præbet, ita ut Isthmus ceruicis locum obtineat. distant uero litora minus stadiis quinque, intercedente peramœna planitie, cuius iugera propter eximiam rerum omnium fertilitatem uiginti aureis auide coemuntur. In angusta ceruicis margine turris Vacania uisitur, Aquilonibus hieme perflata; sed æstate umbris iucundior. Sequitur concauo litore Lennum, templo, & sacerdotibus, ædificiisq; pluribus, & priscæ antiquitatis monimentis memorabile. ad Lennum procul dubio uillam Plinii fuisse indicamus; quam ille, Lario incumbentem, à depresso litore Comœdiam appellare solebat, atque inde facile è fenestris; & è lectulo piscabatur. Supra suspicitur Cænobium, ab algido fonte Aqua frigida nuncupatū, unde ab excelsa peramœnaq; porticu cuncta litora, & nauigantium cursus despectare licet. In extremo uero promontorio diui Ioannis templum fluctibus alluitur, è quo per turbidas tempestates noctu, tanquam è Pharo, sacerdotes nauigantibus lumen præbent. Inde rursus litora recedunt, efficiturq; Larius lato pelago similis. Nec multum abest à Lenno Buzanicum, & mox diui Laurentii

Lennum ubi uilla Plinii.

templum ad litus. hinc molli flexu terreni colles, consiti uinetis, paululum excurrunt, donec producta cuspide ad leuam recedant introrsus. A Tremetio pago, Griantei uini præstantia, & fœcunda planitie percelebri, aliud promontorium, nequaquam scopulosa, aut mõtuosa collium prominentia, sed plana, redimitaq; oleis, & uitibus, in Larium procurrit: hinc Cathenæ Apiæ nomen nautarum temulentia fecisse uidetur: qui ibi, ueluti expleto mediæ nauigationis cursu, à remigii labore libentissime conquiescunt, quum nullibi liberalius, aut meracius caupones prætemauigantibus propinent. Inde se litus ad occasum recuruat, sinumq; efficit, in quo positum est Minacium, Francisco Caluo poeta nobile, & maxime clarum, marmoribus priscis quæ Minicii, Flaminis T. Vespasiani, titulos ostendunt. memoria nostra honestissimis uiris, atque diuitiis florebat; nunc factionibus, & bellorum incommodis diu quassatum, exusta magna tectorum parte, pene funditus interiit. Minacianis finitimi sunt Caneriones, qui uallem incolunt ad Lugani lacum pertinentem. id genus hominum ingenioso factioso, sagaci. maxime cruento, perpetuas, dirasq; in ea uicinia contentiones exercet. Sequitur Nobialius uicus,

Tremetiũ.

Minacium

Canernio nes.

Nobialius uicus.

cus, atque inde abruptæ cautes, quæ ſaxa raucida uocantur; per eas inciſa eſt uia militaris, quæ in Germaniam ducit, & Regia uocatur. illac, ad ſagittæ iactum, nemo ſanus eques tranſit, quum, fallente ueſtigio in ſubiectum à præalta rupe lacum, horribili deſpectu uertente oculos, facile prouoluantur. Inde Caieta accliui & aprico ſinu gaudet, patrum memoria conſito Creticis uitibus, his etiam nunc dignitatem originis prædulci ſapore tuentibus. A Caieta ſtatim illæ rupes, ſed iam nemoroſæ, nec iumentis omnino difficiles, in Larium exeunt, timido quodam procurſu, donec aquæ ſeriæ profluentis impetu frangantur: ita ſaxa raucida deſinunt. Supra ſeriæ uallem, eiuſdem nominis, & paulo editius poſita uiſitur Breia. inde recto litore Calaguritani ordinis cucullatorum cœnobium aditur, cum Deiparæ Virginis inſigni templo, in ueſtibulo populetum habẽs, quod fluctibus alluitur, hortosq; citreis & medicis arboribus longe lætiſsimos. Ibi ueruſtæ ingentis arcis radices uidere eſt, quibus opportune ſuperædificatum eſſe templum animaduertimus. Duobus inde ſtadiis, æquiſsimo, peramenoq; litore, Rhætionicũ abeſt, oppidũ uiris ac ædificiis frequens, & copiis multarum rerum abundans. nam montes, qui ſupra ſunt

Cretiæ uites.

 egre-

égregie percoluntur ab indigenis hominibus maxime laboriosis, & faciendæ fabrilis operæ longinquas regiones magno quæstu petẽtibus. commendatur & id oppidum Turrianæ familiæ antiqua stirpe, è qua nomen ducit Paulus contribulis noster à lectissimarum litterarum elegãtia medicus insignis. Oritur statim à Rhætionico eiusdem nominis promontorium, turrita arce conspicuum: atque inde litora sinnoso tractu ad Musium oppidum reflectuntur.

Musium.

In medio sinu duo templa, quæ inter se paucis stadiis distant, fastigiatis eleganter sacris turribus conspicua, Vito, & Martino diuis dicata. Porro Musium, ab sæuæ infestæq; arcis memoria cunctis fere Larii accolis execrabile, portum habet quadratis silicibus extructum, adsurgit uero supra ascensu multis giris, & flexibus uerrucosa rupes, in qua sita erat summa arx, & specula totius lacus, trinis per gradus castellorum, munitionumq; coronis circundata. eam paucis ante annis extruxerat Triuultius, bello clarus, & demum Iacobus Medices Insuber, per occasionem bellorum custodiæ impositus, occuparat. hunc demum, graui bello domitum inde expulit Franciscus Sfortia, adiutus Heluetiorum, rhetorumq; auxiliis; qui eas arces, finitimis funestas, cum in-

ingenti ruina tantorum operum radicitus euerterunt. In Musiani promontorii latere maiores nostri candidi marmoris fodinas inuenere. quo templum maximum Comi, magnifice constructum, exornatumq; unius sæculi labore, conspicimus. Ea uero rupes, uti diximus, in ostentationem tot castellorum exporrecta. alterum sinum aperit, Musio aduersum interuallo, per connexa montis mille passuum. In hoc Aduncum oppidum cubat, & ipsum multis uicis exiguis, per latera montium sparsis, opulentum. Rursus ab Adunco, quod ab effigie litoris nomē accepisse uidetur, æqua planities, uinetis consita, proscissaq; aratris, terrenam linguam sensim effert, absconditq;. Grabadonam, quæ secundum Bellanum, de quo mox in dextro litore dicemus, toto Lario summam obtinet claritatem. In prominentia sunt geminæ sacræ ædes conspicuis turribus, & paulo altius à litore Augustiniani ordinis cucullatorum cum eximio templo Cænobium. Inde ipsa sinuatis ripis Grabadona in longum producitur. ibi nuper Curtonum familia, domestici apparatus lautitia, honestissimis opibus, & clarorum uirorum hospitiis florens, intestina rabie per mutuas cædes se ipsam ad non dubiū interitum confecit. Sequitur in proximo

Marmoris fodinæ

Aduncum.

Grabadona.

Domaſiũ. mo Domaſium, Grabadonæ par, ſi utriuſque agri dotes æſtimemus. Inde rurſus planum,& arboroſum litus paululũ prominet, occcultato Geræ uico, ad quem paucis inde ſtadiis Suricũ ſuccedit, quod ultimum conſumati curſus portum nauigiis grauioribus præbet. è regione Surici Volturrena uallis petitur, breuiſsimo traiectu, ſed maxime uadoſo, propter Abduæ ſupra irrumpentis impetum. Suis enim uorticibus, nihil prope commixtus, ſed diſcolor Larianis aquis, arenæ cumulos trahit. Propterea, quorum noſtrorum memoria Picininus, clariſsimus imperator, quum, acie dimicaturus cum Venetis copiis, exercitum traiicere properaret, tardãtibus nauigiis, ſubitarii operis Sublicium pontem incredibili celeritate conſtituit, atque inde mox prouectus, inſigni parta uictoria, hoſtis cecidit. earũ Sublicarum exeſi ſtipites adhuc apparent apud Oloniam turrẽ, quam nuper Rhæti diruerunt. Non longe ab Olonia Volturrenam urbem antiquitus fuiſſe conſtat, quæ ualli nomen dederit: uiſunturq́; hodie ueſtigia dirutæ urbis ad Burgum Franconem, unde foſſa nauigabilis ad Delebium uſque perducitur; ſed ea per æſtatem tabanis, & culicibus infamis, ſtagnante ibi Lario, & inclementem reddente aerem. exiſtimant

Gera. Suricum. Pons Sublicius. Olonia turris. Burgus Franco. Delebium.

id

id fuisse opus Francilionis, qui Mauricii Cæsaris auspiciis, cùm Longobardis ad Comum, & in Comacina Insula, Volturrenaq; ualle bellum gesit. Ab Olonia turre ad Liuionem, excelsum montem, recta margine desinens Larius paludes relinquit, quæ Volturrenæ uallis frontem aperiunt. ea in dextram, inter Aquilonem, & Orientem solem, ut diximus, ad Aduam montem, Burniumq; oppidum extenditur, à proximo autem Larii litore octo millibus passuum distat Morbonium, ab intemperie earum paludium nomen accipiens. id magnitudine, & diuitiis urbi persimile, nundinis, & frequenti mercatu celebratur. Medio ferme itinere montibus adiacet Delebium, ut diximus, Venetorum clade, & templo, quod in ipsa uictoria dux uouerat, insigne. Ceterum de Volturrena aliis sit peculiare negocium: nos ad Larium conuertimur. Abdua, tota ualle demissus, nequaquam recta per campos in Larium discursus habet; sed ad leuam in saxa Coderiæ montis distortus inuehitur, deuoratisq; radicibus tandem ingentium cautium obice refractus in Larium pellitur, adeo irato, & contumaci cursu, ueluti indignatus, ut permisceri nolit, & inter uitreas, & liquidissimas undas spumosus, & turbidus deferatur. Ab eius ostio

Morboniũ

Abduæ cursus.

Coderia mons.

excurrit

tas appellari M. Varro prodidit. Ceterum à Nouato Rhæti dudum per latera cautium, ultra Abduæ ostium præcisis, excauatisq; cautibus uiam duxerunt, ut inde pedibus Volturrenam intrent. A dextro uero latere, petentibus Suricum, Dacium ignobilem pagum uidemus. Igitur descripturis aduersam è Surico regionem, interiacente Lario Lineonis montis cacumina spectantur. is altissimus omnium perhibetur, à quo ferunt reliquorum montiũ seriem perpetua ueluti cathena usque in Dalmatiam extendi, Sub Lineone sunt uberes campi, à capite lacus nomen sumentes, accipitrum aucupiis (nam coturnicibus abundant) ad oblectationem aptissimi. Ceterum tria omnino promontoria ab his campis in Larium efferuntur, quæ totidem piscosos sinus efficiunt. in his piscatores uimineas caueas per autumnum in profunda uada demittunt; et, quum hieme in his pisces stabulentur, ad prima ueris signa omni piscium genere plenissimas funibus educunt. In primo castellum cum turre conspicitur, & introrsus sinu in medio situm est Colecum uicus. Secundum uero promontorium ædificiis caret. At tertium ceteris amplius, ac amœnius humani pedis similitudinem repræsentat, ueluti per extremam tibiæ partẽ

Dacium.

litoribus adiuncti, ita ut talo Comum, planta Aduncanum litus, digitis uero superiora duo promontoria respiciat, tanta litoris enormitate, ut à digitis ad tibiæ iuncturam oblongo, & angusto sinu lacus irrumpat, pene effecta insula in Euripum abiturus, si præcisa ceruice paucorum passuum Isthmus æquaretur. In eius promontorii digitis cœnobium, quod Plonam uocant, ædificiis agrisq; opulentum, uisitur, cum uiridariis perpetuo muro præcinctis, & peculiari ad eas delicias extructa mole, quæ portum efficeret: sed ea, per contemptum Christianæ religionis, auarissime neglecta, direpta penitus obsolescunt. Ab hoc uero Plonæ promontorio regna tua panduntur, in quæ peruenimus. incipiunt enim ab Isthmo statim Dorensium uineta Mussiano promontorio aduersa sicuti Plonæ cœnobio è regione Grabadona conspicitur, inde stadiis ferme duodecim saxo adiacet Corenum cum arce, unius Sigismundi Medici iucundis ædibus clarum. nam ex perenni, & largissimo fonte, qui in hortis multo cum murmure muscosa è caute prosilit, hilariter potat, & è fenestris hamis, & arundine piscatur; ita ut eam uillam non ineptis coniecturis esse arbitrer, è qua ille apud Plinium fœdissimi morbi ulcere consumptus, uitæ tædio in

Plonæ cænobium in peninsula.

Dorum.

Corenum.

in Larium se proiecit, sequente uiri casum admirabili caritate uxore fortissima. A Coreno sensim litora cuneantur, & in campos abeunt. in his situm est Delphium, fertili planitie oppidum, in proximo monte arcem uetustam ostendens. Inde Varro defluit amnis, qui campos intersecat. Aperiunt sese montes paulo supra arcem, atque inde est iter in Introciam uallem. Sequitur Bellanum, ad paruæ pernobilis urbis effigiem, omnibus eruditæ artis ornamentis, & naturæ dotibus admodum illustre, quod ueluti in ditione tua metropolis, portum habet è quadrato lapide classium capacem, insigneq; prætorium iuri dicundo, atque item augusta facie templum, quæ Actius Vicecomes, & Ioannes patruus, Mediolanensis archiepiscopus, pari magnificentia, & religione condiderunt. Adiacet Bellano Cultonius ager, generoso uino percelebris: quem demissus à præalta ualle, ubi arx est, Pluuierna fluuius inundat. In tergo sunt nemorosi montes cum opulenta Saxina ualle, è qua Turrianos, Insubrum principes, oriundos fuisse constat; qui postea à Vicecomitibus pulsi, imperio deciderunt. Bellanenses hieme plurimum algent. Sed eorum frigora propinquitate siluarum facile luculentis ignibus superantur. in eo oppido ceteris præ-

Delphium

Bellanum.

Vallis Saxina.

cellunt, quum salubri admodum cælo æstates uerna temperie lætissimas traducant. Hieronymus, & Dantes Stupanii, fratres, à multo splendore urbanæ uitæ elegantissimi senes: famamq; oppido ingenii dotibus affert Nicolaus Boldonius, in gymnasio Ticinensi medicinam docens; quo comite, monstratoreq;, tetrarchiæ tuæ oram descripsimus. A Bellano Varenam petentibus, in medio fere cursu, promontorium Murca. ad id Cultonius ager finitur. inde saxis in circulum sese flectentibus im

Varena: posita occurrit Varena: cuius oppidi uinetis nihil generosius, nihil hortis à citreorum, & medicorum pomorum amœnitate beatius. in aprico enim, & erecto litore odoratæ siluæ perpetuo uirent, ita apte exceptis in orbem solibus, ut Varenatibus Bellanensium, alterna sorte, autumnus prælongus, & suo tempore suauis, contusa duritie hiemis, cum uerna temperie coniungatur. In ea saxa coloniam Varenam ducere coacti sunt Insulani, Comensium proditione infames; qui & sacra secum tulerunt, quum illi uni, eius tractus Ambrosianos ritus non sequantur. Aedificauere noua in sede binas arces, alteram in humero dextro ad Larium, alteram in edito montis iugo, imminentem ædificiis, & speculam toto à lacu præbentem.

bentem. ibi enim maxima Larii latitudo, trifariam ſe in diuerſa proſcindentis, ad Pythagoræ litteræ ſimilitudinem, uti mox in deſcriptione Bilacii referemus. Negat ſe ortum ab Inſulanis, quum genus ſuum altius deducat, Ioannes Maria Scotus, iuriſconſultus inter Varenates facile princeps. Porro in meridiem molli flexu, circumacta Varenæ Saxa peramœnum ſinum aperiunt: in quo ſacratarum Virginum templum, & mox Lacteus amnis, qui ſtatis temporibus oritur, & deficit. Effundunt medii montes ingenti occulto ſpecu, per tubum magnæ feneſtræ perſimilem, ſpumoſum, & propterea aſpectu lacteum amnem adulto uere. Siſtitur uero totus paulo ante brumam, adeo exhauſtis, ut credi par eſt, interraneis cauernis, ut, ſine humoris ueſtigio, arduus ille in accliui alueus penitus inareſcat, cupiuere nonnulli, periculoſa curioſitate, cum funalibus per fauces intrare antrum, ut eius profluentis admirabilem ortum, atque obitum deprehenderent: ſed in tenebris ad multum ſpatium pro greſsis reuerberatus in ora ſpiritus cum ſibilo faces extinxit. Ferunt autem paſtores, in illa naſcentium alpium congerie, ingenti amphitheatro parem, inter montes depreſſam, & concauam planitiem reperiri, in quam

Lactei amnis natura mirabilis.

nis ignobile, è queis nigerrimus lapis exciditur, quo pilares columnas in templo maximo Consi maiores nostris adfabre fecerunt, quum nondum Mussiana marmora reperissent. Ab Oleio uico statim abrupta illa cautes ad Lariũ intumescit, ita ut contegat ex propinquo Mandellum oppidum, positura, cælo, campis, ubertate nulli postferendum. despectat subiectum portum eximii operis quadrangula turris: quam tu integere, ornareq; instar prætoriæ domus cogitas: sed meo iudicio rectius, & luculentius feceris, si designatam in id opus pecuniam feliciore sumptu in alium locum facili instauratione transtuleris. A Mandello longe maximus eo tractu sinus oritur, ad Roboreum usque promontorium pertendens. introrsus sunt Diui Georgii templum, mox Teolum, atque inde Laurentiana ædes, Abbatiaq; uicus, & iuxta prominentiam cænobium Seruiliani ordinis. hinc ultima cuspis sex tantum stadiis ab aduerso litore distans, è qua Sfortiani duces nuper, inito successu, cathenam in aduesum litus protendere cogitarunt, ut hostilium classium excursiones impedirent. Reflectit se statim Roboreum, panditurq; lacus in suam latitudinẽ. At in intimo cubiti flexu diui Martini templum eminet, & in alto procul à litore Dorbinium.

Mandellũ.

Pro. Roboreum.

Dorbiniũ.

nibus includitur. cingitur muro, & propugnaculis, arceq; turrita ad portum opportune firmatur. nam in proximo sunt Veneti imperii limites. inde Abdua è Lario auctiores undas trahens se ipsum rapit, peruenitq; ad incomparabilis structuræ pontem; quem tribus inter se diuisis exemptili ponte castellis, & turribus, totidemq; custodum fidei commendatum, Vicecomites animi magnitudine priscis Romanis comparandi, ab hinc ducentis annis ædificarunt. Inde Abdua, pluribus anguillarum excipulis strangulatus, insulam efficit ad Pescarenum uicum, rursusq; arctis faucibus erumpit, & in lacum contento cursu diffunditur. A summo lacu, Meræq; ostio per Varenam, & inde ad exitum, ad Abduam trigintaocto miliarium mensura colligitur. Contra Leucum montis Barri excelsa cacumina assurgunt. in dextro Barri humero, Michaeli templum constituit Desiderius, Longobardorum Rex ultimus, sicuti & alii superiores Christiana pietate memorabiles, diuæ Mariæ fanum in iugo, quod hodie pro specula uisitur, & cænobium Cliuatense in proximo opulenta cũ dote condiderunt. In ea montis parte, quæ uertitur ad occasum hibernum, Barræ, uetustissimæ urbis, uestigia spectantur, non longe à Galbiato pago. de Bar

Pons lapideus.

Mons Barrus.

F ræ

ræ interitu Plinius memorat. At, emiſſo iam Abdua, Larius molliter aſſurgentis Barri ipſius radices fluctibus alluit, & ad Malgratum uicum paulatim latiore pelago ſe inſinuat, ſed mox excurrente promontorio caſtigatur. in eo Caſtellum eminet. Sequitur autem in cauo flexu contra Malgratum per Iſthmum nomine Parietes uicus, ueteris oppidi ſpeciē præbens. inde radices in fertiles campos æquantur, pertinentq; à parietibus fauces peramœnæ ad Eupylim lacum, qui, uti alio loco oſtendimus, ſubito tremore, quaſſata tellure, cæco aliquo telluris hiatu repente hauſtus, in minores aliquot lacus abiit, altioribus ſcilicet uadis ſubſidente aqua, quum eminentiores deſereret. ex his maximus eſt Puſianus, tuæ ditionis, ab eo Cliuatenſis, & Annonius fere coniuncti, demumq; Serius ipſe, qui piſcoſo oſtio Lambrum emittit, omnes percarum præpinguium captura notabiles. Plebis Incini lacus, corrupto uocabulo, hodie dicuntur, quum ibi nobis ciuitas fuerit Licinoforum, quam Plinio notam uidemus. Ceterum Larius, ubi camporum margines lambendo præteriit, latera demum Regalis montis fluctibus pulſat. is eſt editiſſimus, contra Roborcum aduerſi litoris promontorium, ubi breuiſſimum traiectum eſſe, ſuperius

Malgratū.

Eupylis lacus.

ſuperius oſtendimus. Inde recto, nemoroſoq;, & nuſquam uite conſito litore Ouium ſub rupe exeſa, monoſyllabo, nomine uocatum, unde aperitur uallis Aſsinæ regio, Lambri fontibus, & familiis ex uetuſtiſsima Romanorum nobilitate inſignis. in illa enim florent Curiones, Carbones, & Billieni, qui omnes imperio tuo late parent. Id, intercedente lacu, apricam Mandelliani agri frontem reſpicit. Sequitur Vaſſenna, agro ſiluoſo, & uinetis Ouio melior. In eius portu quadrata facie ſcopuli pedamentum ingentis turris ad nobilitatis indicium oſtentant. Inde Alimonta, Ambroſianorum cucullatorum ſeceſſus, Liernæ oppoſita. moxq; Piſcalium cum ſacratis uirginibus, atque è modico ſinu erumpens Bilacium promontorium; quo nihil ſpectatius, iucundius, ſalubriusq; reperitur. in iugo Pliniana fuit uilla; quam ille tragœdiam, quod grandibus ſcopulis, ueluti ſocculis ſuſtineretur, appellare ſolebat, quum inde duos lacus, ueluti duo maria, deſpectaret. condita demum fuit in eo cacumine arx nobilis è lapide quadrato, quam, uti aſylum maleficorum hominum, ante centum & quadraginta annos Ioannes Galeacius uicecomes, Philippi pater, ſalubri conſilio diruit, decreto adiecto, ne in poſterum inſtau-

Ouium.

Vaſſenna.

Piſcalium.

Bilacium.

rari poſſet. Propterea Marcheſinus Stanga, quum Ludouici Sfortiæ, è ſummo gratiæ loco, fortunis uteretur, non in ſummo, ſed media montis regione, ad meridiem uerſa fronte Regiam uillam conſtituit; quam nefaria Cauernionum libidine incendio deformatam aliquot annis uidimus. Infra ad occaſum Bilacium oppidum undis alluitur, totius Larii præfectura, & nobilitate ædificiorum, molisq; peramplæ ante inteſtina bella clariſsimũ. Eo promõtorio Larius defluens ab Olonia turre, ueluti ingenti

Diſcinditur Larius.

roſtro, diſcinditur, exitq; in longe maximam æquoris planitiem, tribus in diuerſa diſcurſibus Pythagoræ litteræ figurã repræſentãs. triquetro ſiquidem interuallo, & fermè æquali, Bilacium, Varena, Minacium, ſex millium paſ-

Latitudo maxima.

ſuum occupante pelago dirimuntur. Inde ad leuam, in aduerſo Piſcalii litore, Lopia uicus cum templo æmulatione religionis ſacratarum uirginum domo inſigni. inde ſancti Ioannis pagus, cucullatus diui Dominici uberrimas uindemias reddens. In ceruice quoque Billacii promontorii, quod pene præterieram, quũ à litore diſtet, cænobium Auguſtinianorum cucullatorum conſpicitur, medicis arboribus, & cultiſsimis uuietis refertum, ita ut ſacratæ uirgines Piſcalianæ, Lopianæq; horum cænobiorum

biorum ſeueritate, atque præſidio pudicitiam commodiſsime tueantur. Inde ſexdecim ferme ſtadiis Groſgallia ſaxa crebris repulſi à lauacto Larii fluctibus uerberantur, ea ſaxa ingentes habent ſpecus, in quos burburi piſces ſtaturæ hominis magnitudinem æquantes, æſtate ſe recipiunt, ſpectanturq; tantum uitreo in fundo captantes umbram, quum retia uehementis impetu effringant, grauiq; ſquamarum ſerie thoracati ſagittas uitent. Sequitur Lecenum, in quinque tenues diuiſum pagos, quos interdenſiſsima uineta directo litore conſpicimus, aquoſa inde uina, anſæ uapæ proxima, ægris expetuntur, quibus famam auctoritatemq; attulit Ludouici Sfortiæ guſtus probantibus medicis, qui æſtuoſis uiſceribus, calidisq; podagris aptiſsima indicabant. nos autem Grianteo, aut Vareniano, cum muſta feruent, ad medietatem Leceniana nobili temperamento permiſcemus, quæ demum delicatas uires ſpirant, & nitido cæſio colore ſalienti in poculis ſitientibus arrident. Succedit Cauaneolæ promonrorium Arcenniano ſinu, quem diximus, ad interloquenda litora auido procurſu inſertum. in eo templum eſt, cum uberrimo fonte, & quadrati lapidis parua mole. æditυus laternam cum lumine, præbentibus oleum nau

Groſgalliæ piſces.

Lecenum.

Cauaneolæ Prom.

tis,

tis, ad ſubſidia tempeſtatum, paucis ante annis protendebat, ut corriuarent qui à Lanacteo pharo turbidis noctibus deſcendebant. Hinc ille ſinus maxime incuruus ad Turnium uſque promontorium per quadraginta ſtadia diſtenditur. in quo præcipuam Neſsium oppidũ, in algida caute ſuſpenſum, ad æſtiuas uoluptates obtinet claritatem. id præcipiti, frigidiſsimoq; amne diuiſum, lapideo ponte coniungitur. ibi captare perennes auras, & conſpectu Larii, frondoſorumq; montium placide frui, feſtiueq; item ad marmoream menſam cœnitare pingui eo ſeceſſu gaudentibus licet. Non procul à Neſsio recurui montes cubitum oſtentãt, in quo fontem à fuga Seria nuncupatum, multo murmure, ſtrepentis aquæ nautis frequentatum incumbentes ſupra caſtaneæ arbores connexis inter ſe ramis decenter à ſolibus defendunt: nec poſtea toto illo ſinu ædificia ad litus uiſuntur, præter exiguas ad ſtationes nauium domos, quæ ſuperioribus pagis certis tramitibus reſpondent. in conſpectu enim ſunt Carenum, Quartianum, Pomponiana, & ceteris fortunatius ſita Palantia, eximiarum ceparum fertilitate pernobilis, atque item Lemna, Molinaq;. ſupra hæc nequaquam ardui, & pabuloſi montes in acutos apices attolluntur, per

Turnium. Neſsium. Fons umbroſus. Carenum. Palantia.

per quos paſtoribus ſæpiſſime agmina ceruorū occurrunt. Hinc ad pauca ſtadia fons ille duorum Pliniorum præconio, & admirabili fluxus, & refluxus uarietate memorabilis; quem deſcriptione attingere, non ineptum modo, ſed nefas eſſe putauerim; ne, æmulatione parum ingenua, aliquid recte addere uideamur; quando illi, diuino florentes ingenio, cuncta, quæ hodie, nihil immutato naturæ miraculo, contemplamur, incomparabili ſtili iucunditate nobis expreſſerint. Succedunt inde ſiluæ, uinetaq; Turnenſium, & ſupra ea in edito mõs Platus, ſacratarum uirginum templo, & præalta ſpecula longe ſpectabilis, & mox ipſum lunato litore Turni promontorium; in quo oppidum per gradus ædificatum, noua inſtauratione refloreſcit. quum enim afflicti aduerſo belli ſucceſſu gallicum nomen contumacius, uel, uti uideri uolunt, conſtantius coluiſſent, incendio patriæ intempeſtiui ſtudii ſui pœnas dederunt. eandem quoque fortunam tulit Parlaſca, paucis ante annis oppidum inſigne incolarum nobilitate, & excelſis domorum ſtructuris; quod modo ſingulari cum dolore luctuoſæ cladis præteriimus. Inde ſequitur Blenum, & ipſum uinetis ſuis, quoniam orientem ſolē non uideant, apud languentes ſtomachos di-

Turnum.

Blenium.

gnitatis, & gratiæ famam inueniens, quum uina leuitate quadam innoxia à tenui innatoq; uigore refractis, & dilutis præferantur. A Blenio peruenimus ad uberrimæ ſcaturiginis fontem, quem ab aquarum copia iure optimo Magnũ appellant. Inde ſequitur Mirabella domus, pendenti impoſita ſcopulo, & mox duobus inde ſtadiis Genium promontorium, in quo uaſtæ amplitudinis ædes cum templo, & uiridariis, Decurionum decreto peſtilentia morboſis reſeruantur. Inde ſtatim flectentibus ſeſe ad leuam ripis: urbs ipſa Comum undique turrita conſpicitur. nos uero ad ſuburbana Coloniolæ uertendo proram, uineta, uillas, hortos, legimus, &, ſexto die completo uniuerſæ adnauigationis curſu, qui per oram centum et & uiginti millibus paſſuum conficitur, unde ſolueramus, intra portus fauces nauem intulimus. Tu uero, qui harum rerum præclarus es æſtimator, qua fide ſcripſerimus, facile uidebis. nihil enim tributum eſt fabulis, ita ut hinc diſſolutæ, uagæq; narrationis ueniam impetrare non deſperem; quando etiam abs te iuſſa, efflagitataq; non meo quidem, ſed alieno potius ſtilo tractauerim. nec tamen diſpudet tantiſper ab hiſtoriæ ſeueritate diſceſsiſſe, ut ſtudium noſtrũ uel hac una erga te liberali

Pro. Genium.

comitate

comitate testaremur; nam qui tanto ore raptam Helenam cecinisti, remissiore fortasse musa Larium decantabis, uel uno Bembi exemplo, qui Benacum Giberto, Mæcenati nostro, iucundissime descripsit. Tabulam quoque huic ioculatorio labori nostro coniunximus, ad locorum mensuras exactissime delineatam; quæ fortasse erit ipsis commentariis, lenocinante pictura iucundior. Sed hoc imperiti uiderint: tu certe intelliges, mutas, & inanes fore tabularum figuras, nisi litterarum lumen accesserit.

ILLVSTRISS. COMITI FRANCISCO SFONDRATO, CAESAREO SENATORI, Consiliarioq; amplissimo Nicolaus Boldonus S. P. D.

V ETERVM monimenta euoluens, amplissime Comes, illum semper aliquam sibi gloriam comparasse, neque modica laude ab omnibus elatum fuisse obseruaui, qui præclarum aliquod negocium tentasset, tametsi rei susceptæ magnitudini non satisfecerit. quod ea ratione factum opinor, quo plurimi, id ueluti calcar menti infixum assidue gerentes, ad egregia facinora magis succenderentur: unde & uulgatissimum illud dictum in magnis uoluisse sat est, quod & in adagium postea pertransiuit, in foro, in templis, in triuiis, & passim denique inscriptum uisebatur. Atque hanc non immerito caussam asignare poterimus, quòd antiquorum tot, tantosq; in singulis artibus illustres ac præcellentes uiros ætas nostra admiretur. nam cum pro uirili ad ueritatis scopum studiosa quadam æmulatione intenderent, nonnulli rectam uiam agressi sunt, ipsam tamen ueritatem non penitus attigerunt: Sed adeptæ huic parti posteriores aliam addentes, ex omnibus congestam methodum confecere, qua scientiarum cupidi intentum finem assequi possent. quidam uero ab hac semita de-

declinantes, aliqua protulerunt, quæ dum diligenti examine perpensa exploduntur, ueri ipsius clarius, certiusq; dignoscendi caussa fuere. quamobrem tantũ abest, ut hos uitio darẽt, ut hisce potius laudis etiam aliquid promerentibus gratias habendas esse censerent, quod quidem moris neque hac tempestate nostra omnino abolitum uidemus. Mihi igitur hoc ipsum animaduertenti, Excellentiæ tuæ mandato parere minus ambigendum fuit. quare illam obsecro, ut in quæsito non modice arduo sententiam meam, qualiscunque fuerit, boni consulat. hanc enim ex Peripateticorum principe extorquere conatus sum. quæ si minus uera fuerit, id saltem conferet, quod ad ueritatem indagandam forte quempiam excitabit. Habet Excellentia tua in Comitatu suo, qui totum Orientale latus occupat, fluuium quendam Lacteum appellatum, qui multum præcipiti citatoq; cursu per saxa in lacum fertur, totusq; spumeus effectus, lacte pene candidior apparet, & huic non iniuria Albulæ nomen potius, quàm Tiberi, conueniret. sed ut spumantia omnia candorem illum obtineant, in caussa est aer, quo perfractas atque agitatas humoris partes penetrante, & ab humore circumplexo, ampullæ generantur, & relucet candor; quibus dissolutis, aer euolat, ac ille candor euanescit. sic & hac ratione hyemantis anni tempore hominum manus liuentes conspiciuntur, cum aerei spiritus frigoris iniuria partes deserant cutaneas, qui, aduentante calore, similitudine quadam allecti. (sunt enim & ipsi calidioris temperaturæ) rursus diffunduntur, & pristinam elegantiam restituunt. Lacteus igitur hic fluuius haud exiguæ magnitudinis, non sine accola-

rum admiratione, circa hyemis initia defectum patitur, & non multo temporis progressu penitus arescit, atque ortum tandiu differt, donec sol in Zodiaco arietis primos gradus permeans, ueri præbeat initia. tunc autem impetu quodam extra montis cauernam totus prosilit, ut uideatur se ipsum ad caput contraxisse, quia, collectis uiribus, saltantium more, ualidior prorumperet. Mirandus est igitur & ortus, & occasus. Sed interitus caussam hybernæ frigiditati, extrinsecus circunstanti, ascribendam censeo. propter hanc nanque ad interiora, & subterranea loca calor refugit, & quo magis contrahitur, eo fortior efficitur, media autem hyeme, in summo frigoris uigore, calor intrinsecus summe collectus, ualidior etiam existit: unde fit, ut aqua, quæ in montis uisceribus ex frigore nascebatur, (frigus enim eadem est caussa, quæ & supra terram, & in terram aerem ad naturam uaporis accendentem in aquam condensat) iam gigni desinat, & fluuius deficiat. quod si pari ratione aliis fontibus non contingat, ut scilicet hyeme penitus exiccentur; hoc ideo esse putauerim, quòd hi in locis parum à superficie terræ distantibus, & modice calentibus originem trahant, ille autem in cauernis montis penitioribus, ubi maior est calor, oriatur. Verum ætate media, sicca presertim temporis constitutione, plurimum diminuitur, etsi non omnino deficiat: uere autem, & autumno, aquarum maius agmen prouoluit. neque hoc citra rationem fit: quandoquidem æstiuo tempore ex assiduo caumate, ac pluuiarum defectu, tellus ipsa usque adeo desiccetur, ut uapores in aquam commutandi ualde diminuti sint. nam uapor aquæ materia est: frigus autem efficiens caus-

sa

ſa; quarum altera hyeme, æſtate altera imbecillis ſit, ſed uerno autumnaliq; tempore utraque ualidior; quando etiam terra ipſa humentior eſt, & in uere calor ad interiora collectus expandi incipiat, & quæ colliqueſcunt niues, montium rimulas penetrantes, ad fluuiorum amplos meatus corriuent. Ceterum, quod multo difficilius eſt, latentioremq; cauſſam habere uidetur. eſt in ipſius ortu ſubita illa & ingens aquarum proruptio: ut ſine ſucciduo incremento in ſummo ferme uigore ſtatim conſpiciatur; quum tamen aqua, ſiue intra montem genita, ſiue ex niue colliquata fuerit, pauxillatim ad fluuii meatum defluat. Huius ego rei dum cauſam quandoque anxius perquirerem, neque aliqua comperta, cui animus uere aquieſceret, antrum ipſum, unde prodit fluuius, quando iam pene totus inaruiſſet, ſubire uolui, ea ſpe ductus, quòd oculata inſpectio mihi plurimum ad cauſſam perſcrutandam conferret. Loco itaque perſpecto, ac mirabilibus illis anfractibus, quoad fieri potuit, perluſtratis, quatenus ſenſu ac ratione conſequi potui, cauſſam hanc coniectam. nam aquas ab excelſioribus monti ipſius locis defluentes cauernæ non nullæ ſatis æquales excipiunt: quæ quum repletæ fuerint, aquas ex alto cadentes intra ſe amplius non admittunt, ſed omnes pariter per riuos ſuos ad communem alueum, in monte tamen latentem, illas effundunt, ubi congeſtæ aquæ in fluuium ſtatim euadunt: qui ſubito factus, ſubito etiam prorumpat, neceſſe eſt. Quod ſi obiiciatur, talem ortum ſimilem etiam interitum exigere: ſed repente hunc fluuium deficere non uidemus, immo in fontem exiguum, & qui poſtea penitus aſsicetur, prius deſinentem cernimus: Hoc

euenire

euenire dicendum est, quòd aqua tota in caneas illas ingentes non decidit, sed eius modica portio aliunde in alueum percolatur, sicq; fons paruus emanat, licet fluuius substiterit, atque illum hyberno tempore eadem ratione, qua fluuium, aboleri tandem uidemus. Hæc sunt Illustrissime patrone, quæ in hac re, non mediocriter ardua; utpote in naturæ penetralibus recondita, excogitare ualui. quæ tametsi minus apte, ornateq; explicata fuerint, ea tamen hilari fronte, qua omnium animos excellentia tua sibi deuinctos reddere solet, suscipere dignetur. uale Italiæ decus eximium: &, ut de me, quod de fidelissimo, ac deditissimo seruo potest, excellentia tua sibi polliceri uelit, eam supplex rogo, atque obtestor: qui, quum suorum erga me meritorum magnitudini satisfacere nequeam, uitam in aliqua re sua peragenda libens impenderem. Ex Bellano, VI. Kal. Feb. M. D. XXXIX.

INDEX.

L

M

N

O

P

R

S

T

V

FINIS.

XXIX

MC